[illegible]

[illegible]

[illegible] primu[illegible]

1-361-42

N° 174

28

GOBIERNO DE ARAGON

1242 N 88

Notum sit cunctis quod ego domina Saurina filia Hugonis militis quondam de Elna, gratis bona fide cum consilio et voluntate omnium amicorum
meorum, cupio et affecto te Seguerium de Petrapertusa militem habere in legalem maritum, et dono et trado in presenti me ipsam tibi in legalem uxorem
et ex te cupio habere legitimos infantes altissimo annuente. Et dono, constituo et trado tibi in dotem omnem honorem meum heremum et condirectum quem habeo
et habere debeo ratione et successione dicti patris mei Hugonis de Elna seu quocumque alio modo et iure in tota civitate et terminis sancte Eulalie Elnensis
et in cunctis aliis terminis, adiacentiis sive locis: homines scilicet et feminas, campos et vineas, heremos et condirectos, mansos, mansatas sive
bordas et domos cum omnibus possessionibus et terminis suis, ortos et ferragines, nemora et pascua, venationes et prata, et aqualia, molendina
cum aqueductibus et reductibus et cum omnibus in his predictis contentis et cum terminis et pertinentiis suis, et tremerita, census et usatica, foriscapia, ius-
ticias ac baiulias, stracta, adempramenta atque firmas, et omnia alia omnia iura mea et actiones, petitiones et defensiones, et omnia bona et omnia
mea hic expressa vel non expressa ad me pertinentia vel pertinere debentia quecumque sint illa et ubicumque. Tali pacto et modo quod hec omnia supradicta
nos duo habeamus et teneamus in omni vita nostra cum infante et sine infante. Post mortem vero nostram omnia supradicta redeant [illegible]
communibus ex me et te natis et procreatis. Et est verum et confiteor et recognosco in hoc instrumento tibi Seguerio viro meo predicto quod tu michi
addidisti et constituisti duo milia solidorum melgoriensium bonorum in donationem propter nuptias, et villam et honorem tuum de Truilac et villam et honorem
tuum de Saguera et de Rocha viridi et alia bona tua sicut inferius plenius continetur. Super quibus duobus milibus solidorum et donationem propter nuptias
antedictis renuntio scienter et expresse exceptioni non numerate pecunie et donationis propter nuptias non recepte. Que duo milia solidorum melgoriensium
que tu michi in donationem propter nuptias attulisti et alia duo milia solidorum melgoriensium quos habeo ad omnes meas voluntates de bonis meis et lucratis cum in-
fante et sine infante ex pacto inter nos inhito et facto. Si contingeret te Seguerium de Petrapertusa supervivere michi domine Saurine ante-
dicte, et ita sunt quatuor milia solidorum melgoriensium. Quos dono, assigno et obligo tibi pro retinendo omnem honorem meum et bona, dominia et iura que tibi in
dote constituo ut superius continetur, tantum et tamdiu quousque heredes proximi mei vel illi quibus honorem meum predictum et bona mea dimisero ultimo vel
scripto solvant et satisfaciant tibi vel cui volueris de predictis quatuor milibus solidorum antedictis, fructibus et redditibus inde habendis percipiendis in solutum
sive in sortem non computatis, sed pro dono meo quod tibi in presenti facio habitis et perceptis. Et cum heredes vel proximi mei vel illi quibus honorem
meum et bona dimisero tibi vel tuis satisfecerint de predictis quatuor milibus solidorum melgoriensium antedictis, statim honor meus et bona et iura universa mea an-
tedicta libere et absolute redeant illis sine aliquo vinculo et obligatione tui et tuorum. Simili modo ego dominus Seguerius de Petrapertusa miles
gratis bona fide cum consilio et voluntate omnium amicorum meorum cupio et affecto te dominam Saurinam predictam habere in legalem uxorem, et
dono in presenti et trado me tibi in legalem maritum et ex te cupio habere legitimos infantes domino concedente. Et dono, adduco, constituo et trado tibi
in presenti in donationem propter nuptias duo milia solidorum melgoriensium in pecunia numerata, et villam et omnem honorem meum de Truilac et villam et omnem ho-
norem meum de Saqra et de Rocha viridi et omnia alia bona mea et iura, scilicet homines et feminas, campos et vineas, cultos et incultos, mansos
et mansatas atque bordas, ortos, ferragines, guarrigas, nemora, silvas et venationes, prata et aqualia et molendina, iusticias et baiulias, firmas
et adempramenta, tremita, censos, usatica et foriscapia et omnia alia iura et omnia mea hic expressa vel non expressa ad me pertinentia vel pertinere
debentia in terminis et adiacentiis sancti Martini de Truliaco et in terminis et adiacentiis sancti Vincentii de Saqra et de Rocha viridi et in cunctis aliis ter-
minis et locis quecumque sint illa et ubicumque. Tali pacto et modo ut hec omnia supradicta bona mea et iura nos duo insimul habeamus et teneamus in omni
vita nostra cum infante et sine infante. Post mortem vero nostram redeant infantibus nostris communibus ex me et te procreatis et natis. Si autem contingeret te dominam
Saurinam uxorem meam supervivere michi Seguerio antedicto, habeas et lucreris cum infante et sine infante ex pacto inter nos inhito et facto ad omnes
tuas voluntates faciendas et complendas predicta duo milia solidorum melgoriensium bonorum que tibi in donationem propter nuptias attuli, ut superius continetur. Et de ipsis
duobus milibus solidorum quos tibi modo adduco et trado in donationem propter nuptias possis emere et de illis negociari ad tuas voluntates faciendas
sicut tibi visum fuerit expedire. Omnia alia vero bona mea et iura et dominia que tibi in donationem propter nuptias constituo ut superius continetur, statim
post mortem meam redeant heredibus vel proximis meis vel illis quibus dimisero ultimo vel scripto, exceptis predictis duobus milibus solidorum melgoriensium que tibi in dona-
tionem propter nuptias constituo et trado. Quos habeas cum infante et sine infante ad omnes tuas voluntates faciendas si te supervivere michi contigerit
ut superius continetur. Actum est hoc V idus Septembris anno Christi M CC XL secundo. Sig+num na domine Saurine et Seguerii de Petrapertusa
viri eius predictorum, qui hec omnia predicta laudamus firmamus et rogamus. Sig+num P. de Catafano, B. de Buata archidiaconi Elnensis, A. de Terra-
longa canonici eiusdem, Iuliani et Vitalis sacerdotum Elnensium testium rogatorum. Ego P. Torri clericus Elnensis hanc cartam mandato A. Torrentis clerici Elnensis et
scriptoris publici scripsi sicut in notulis I. de Canois capiscole quondam Elnensis notata inveni et hoc sig+num feci.
Idem Arnaldus Torrentis clericus Elnensis et scriptor publicus auctoritate domini B. Elnensis episcopi subscripsit et hoc sig+num fecit.

GOBIERNO DE ARAGON